Opuscula

RESCRIPTUM GRATIÆ

ad Inſtantiam Orbis
ex Signatura Cæleſti
IMPETRATVM,

D. JOANNES CANTIUS CONFESSOR,

Regni Poloniæ & M. D. Litv. PATRONVS,
Almæ Vniverſitatis Crac: PATRIARCHA,
S. T. DOCTOR & Profeſſor.
Redeunte annua ſuæ Feſtivitatis die
In Eccleſia Collegiata ac Doctorali

S. ANNÆ,

Præſente Illuſtriſſimorum HOSPITUM Coronâ,
ad Sacra Lipſana
per me
M. VALENTINUM, JOANNEM CANTIUM
FRANCHI,
AA. LL. & Philoſoph: Doctorẽ, Ejuſdemq; Profeſſorem, Publicum Sacra
Authoritate Apoſtolica Notarium.
in forma Oratoria

DEMONSTRATVS.

Annô Domini M. D CC. XLVIII.
Die verò Solis 20. *Menſis Octobris.*

CRACOVIÆ, Typis Collegii Majoris Univerſitatis Crac:

75

In Stemma
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
ZAMOYSCIORUM.



Martis, Bellonæ, quod fecit Palladis hasta.
Hoc Orbi Lechico trina Sarisa dedit,
Evicit pacem, superavit mille triumphos
Vt vincat superest: ad sua vota Deos.

Applaudit JOSEPHUS, JOANNES CANTIUS in Łukowica SENDZIMIR, Burgrabides Cracoviensis, Judicides Castrensis, Sandecensis, Scholæ Pöeseos Alumnus.

ILLUSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. THOMÆ
Comiti in Cieszow & Zamośćie
ZAMOYSKI,
Hæredi Ordinato Zamoscensi
PALATINO LUBLINENSI,
Equiti Aquilæ Albæ,
CAPITANEO PLOSKIEROVIENSI, Exercituũ
S. R. Majestatis & Reipublicæ Polonæ
COLONELLO. &c, &c.
Mecænati & Protectori Amplissimo.

P*Arces audaciæ* Mecænas Illustrissime; *quod exiguam laboris mei opellam; at fidelis obsequii argumentum* Tibi *magno Statori, Conso Lechico, Senatori sagô Togâq; meritissimo, Literarum ac Literatorum Præsidi & Fundatori munificentissimo venerabundus offero. Pulsant etenim*

exigui latices ad Aurei Ostia Nili, & inter Tagi Hermiq; pellucidas connumerantur lymphas. Librant se pennis in aëra sollicitæ Apes, & vel in ore Ambrosii, vel in Tentoriis Regum discurrunt argumentosæ. Humile dicendi genus, turgescentes de terra vapores ultra sphæram capacitatis suæ audent redimire præcelsa tempora Phœbi. Ingens Oceanus præter onerarias Classes, exiguas etiam à suo profundo navigii non damnat Phasellos, ac plerumq; ore minori ingenioq; volunt Numina magna coli. Nempe **Illustrissime Domine Protector Singularissime** *ad* **Te** *fontem gratiarum profluo exiguus latex. Fontem inquam: plus quàm Septem Ostiis fluentem Nilum, vastis altissimi sangvinis fluctibûs Lechicum irrigantem orbem, quem calami transfretare remigiô, dum nullus reperitur Typhis, restat cum Ausoniis modulari Camænis:* **Nec licuit populo parvum Te Nile videre.** *Ad* **Te** *convolo argumentosa apis Purpurate Senator, Romani Imperii Fabios exsuperans, ut ubertim ex florido benevolentiæ* **Tuæ** *Hymetto, dulce Protectionis delibem nectar. Ad* **Te** *levor Cliens athomus ô Phœbe Poli Poloni! Cujus Nominis ac Honoris lumen allucendo Patriæ, meridiem gloriæ accendit for:*

tunatum. Cujus gratiarum influxus non guttatim in devinctissimos Domus Illustrissimæ *Cultores profluunt, sed plenô scaturientes alveô perennia excavant signa gratitudinis. Habent penniger æ Aves suam Aqvilam sub cujus expansis pennis tanquam sub Ajacis Clypeo tutæ manent, sed & Aquila habet ab Avibus gratitudinem; cui vocales alaudæ, canora Olorum Classica, pumilæ modulantur Lusciniæ. Sunt apibus sollicitæ Matres quas educant, sed et Matribus sunt gratæ Apes, quibus dulcem hiblam & consonum affectûs præbent Argumentum. Gloriantur agrestia animalia Rege suo Leone, de qvibus stipendiario feudo escam Leo sumit. Habes &* Tu Senator Inclyte *tot Nominis* Tui *Vasallos quot obligatorios gratiæ Possessores, in quibus prout in Apibus erga Matrem, in Animalibus erga Leonem, erga* Te Mecænas Amplissime *crescit indies gratitudo. Suxisti hanc benevolentiam à Prædecessoribus* Tuis *cum Regibus Poloniæ in* Iagellone, Sigismundo, Stephano Bathoreo, Augusto I. Michàéle & Ioanne III. *cum quibus Heroicis factis tanquam nativa Syderum primæ magnitudinis Domus Orbi Lechico resplendes fortunatè. Florebas & flores cum Ducibus & Principibus* Floriano Sari-

ano ArchiEpiſcopo Gneſnenſi, Magno Ioanne Zamoyſki Supremo Exercituum Duce, & Cancellario Regni, *cum Senatoribus* Ioanne Palatino Sandomirienſi, Thoma Cancellario, Martino Theſaurario Regni, *cum quibus pro Aris & focis,* Tuis *Gentilitiis hastis plus quàm aureâ Macedonis Lanceâ & Palladis Sariſſâ hoſtem repellis, & Gyganteos vincis animos gloriosè. Relucet in* Te *vera Imago Patris* Illuſtriſſimi *olim* & Excellentiſſimi Domini Michàëlis in Zamośćie ZAMOYSKI Palatini Smoleſcenſis Genitoris Tui Mecænas Ampliſſime, *Cujus laudes exquiſitiſſima celebrare Panegyri, eſt eradiantis Phœbi lumen æmulari. Vir hic erat pro Patria Conſilio magnus, judiciô profundus, viribus inconcuſſus, æquè Majeſtatis acerrimus Propugnator ac Aſſertor Libertatis. Nullo non die in Cives cum Gratianis affabilis, nulla non hora cum Titis Veſpaſianis in pauperes dextrâ munificus, nullo non tempore cum Achille, Marte & Gradivo in hoſtes minax ac metuendus haſtâ, adeo: ut abſq; verborum coloribus* Illuſtriſſimus *olim* Palatinus *virtutum præcellentium Corona diceretur. Tanti Macedonis* Tu *Alexander extas* Illuſtriſſime Domine *qui non fuliginoſâ inter Atticas*

no-

noctes noctuæ alâ, sed decoctâ ad apricum Solis Regiæ volucris & Jovis ministræ penná scribi mereris. Scilicet purpurata Trajani encomia nonnisi Oratore Plinio dignè satis recenseri possunt, Æneas Homerum meretur, armatas Pyrrchi laudes ipse tentavit Cyneas, Stiliconis gloriæ nonnisi par Musa Claudiana. Tu Illustrissime Domine *Senatorio murice ruborem tenuitati inuris Oratoriæ qvod coloribus vera* Tua *Imagine dignis neqveas depingi adæqvatè. Sublimem* Tuam *in agendis prudentiam quâ Consos, in disjudicandis Justitiam quâ Romanos Dictatores, in pertractandis gestis magnanimitatem quâ Agamemnones, in persvadendo facilitatem qvâ Cyneas excelluisti, humili repentis Eloquentiæ conatu velle aggredi; vires ingenii si non superabit, lassabit certè. Exoticum properasti sub Solem non tam ad lustrandum quàm ad illustrandum eundem, ubi sine cede triumphasti, cum* Te *Gallicana lilia aperto ore salutando Regem animorum agnovêre. Viderunt* Te Illustrissime Palatine Radomsciani *Arèópagi, in quibus æquam Themidis bilancem* Tui *Nominis, honoris, & meritorum pondere appretiasti, in quibus quod Atheniensibus Solon, Lacedemoniis Lycurgus,*

Romanis Numa Pompilius, **Tu** *ſemper integerrimus Judex caræ extitiſti Patriæ, depreſſiſti crimina, elevaſti Innocentiam. Pro ſtatera erat* **Tibi** *ſumma æquanimitas, pro Juſtitiæ gladio Acies limatiſſima, quâ veluti Macedonis enſe intricatiſſimos ſolvebas nodos. Inclyta Parens Reſpublica Polona tanquam Romanorum Græcorum Mater; omnia divitiarum in Filiis reponens Gazophilacia,* **Te Ordinate Illuſtriſſime** *ſuper theſauros Cleopatræ ac pretioſa Midæ Cymelia æſtimat, cui plus quàm Parmenio erga Macedonem, Zopyrus erga Darium ſervaſti ac ſervas in omnibus fidelitatem. Digito tandem meridianum monſtrarem Phæbum ſi ab ævis, Avis, Ataviſq; in* **Te** *reſplendentes Virtutum Heroicarum ac magnæ Proſapiæ dotes, ſat per Clymata non ſolum Septemtrionalium verùm etiam Orientalium & Occidentalium Dominiorum vocales, ſeroventuræ inaratas poſteritati exiguâ arctarem pagellâ. Imbelli potiùs ſvadæ præſtat ſilentiô quàm eloquiô venerari, & plus quàm ſatis fateri: quod* **Illuſtriſſimus THOMAS ZAMOYSKI, Palatinus Lublinenſis Protector Singulariſſimus** *ſit poli Poloni baſis, orthodoxæ Religionis fulcrum aureæ Libertatis Aſſertor,*

Le-

Legum Propugnator, magnorum meritorum
Corona & Regni Coronæ gemma. Habent
à Tua liberalitate Divorum Sanctuaria amplos
apparatus & reditus, Religio firmum Præ-
sidium & tutamen. Alma Studiorum Ma-
ter Universitas Zamoscensis in Hirco Tuo
Gentilitio Ruth, Ecclesiæ & Regni Po-
loniæ Columna Booz in fortitudine, Te
Patronum ac Fundatorem gratiosum profi-
tetur. Metropolis Russiæ & Antemurale For-
talitium, Urbs Zamoscensis Benefactorem
ac Dominum suum venerabunda adorat,
quam à Divis Prædecessoribus gratiosis val-
latam privilegiis, a Serenissimis Poloniæ Regi-
bus primis in Regno Urbibus æquiparatam,
indies Illustrissime Domine amplias & prote-
gis. Unde quod Augustus Cæsar à Romano
populo legit: Vive diu AUGVSTE si non
æternus; saltim diuturnus sic Patres po-
pulusq; vovet, sic Curia tota, idem à Ci-
vibus Zamoscensibus votum recipis: Vive
ORDINATE Illustrissime si non æter-
nus saltim diuturnus, sic Cives populusq;
vovet, sic Civitas tota. Excedis quidem
Oratorium syllabum Virtutum quantitate illi-
bata Penelope Polono Ulyssi, dilectissima Mau-
solo Artemisia, Lechico Marti Idalia, venu-

ſtiſſima Menelao Helena, nempe: Illuſtriſſima Angela de Michow Comitibus, Illuſtriſſimo THOMÆ ZAMOYSKI, Palatino Lublinenſi: *in ſociam vitæ data. Quam ſi Tullij, Demoſthenes Pericles, aut Marones vellent laudare, idem agerent ac ſi guttam Oceano, athomum Olympo, ſcintillam adjcerent Veſuvio.* Te *tamen* Illuſtriſſima Palatina *& ſi tenuior taceret Mercurij penna, depredicat tam altitudo generis quàm ſelectiſſimæ ac Regiæ pene virtutes. Reſplendet in* Te Illuſtriſsima Domina, *magnanimitas Corneliarum, prudentia Sybillarum, generoſitas Lacænarum, pulchritudo Helenarum. Vernat in* Illuſtriſsimæ Palatinæ *ingenio quarumvis virtutum florilegium, in pectore niveum reſidet èbur, in fronte ſerena, albicantia candeſcunt lilia. Pauca hæc ſunt (ignoſce quæ dixi)* Illuſtriſsima Domina *plura Clientale pectus in penetralibus Cordis recondit. Hoc tamen fateri debet, quod* Tibi Illuſtriſſima Domina *ceſſit prudentiam in rebus agendis Minerva, magnanimitatem Juno, Cæleſtes Genii Pandoram decorum & virtutum quæ ſuum decebant ſexum effecêre. Non* Tibi *felix Caput ſine virili inge-*

nio,

nio, non frons amæna ſine Authoritate & innata modeſtia, non manus tornatiles ſine pleno liberalitatis hyacintho, non Cor ſine pietate & amore Divino, ex Qva Ipſæ Gratiæ ſi quoddam Deorum munus formare vellent ſumerent Prothotypon, Quis tandem Archimedes **Tuas** *ad numerum Oratorium præſumet revocare virtutes* **Illuſtriſsime Domine, CLEMENS in Zamośćie ZAMOYSKI Capitanee Tarnavecenſis,** *ſummarum compendium dotum, oculorum delicium, Regum Amor, Principum Corculum, Eruditorum Ocelle, morum ſpeculum, vitæ Cryſtallum, ac (quod idem eſt)* **Domus Illuſtriſsimæ** *ſingulare decus, expectatum à tam longiſſima Aboriginum Proſapia ſolatium, vetuſtiſſimæ & utinam nunquam collapſuræ Familiæ fulcrum. In* **Te** *ſe omnes collegerunt Gratiæ & pulchriùs conſpiciuntur quàm novennarius Muſarum Chorus in Pyrrhi Annulo, quia ſe in uno* **Illuſtriſsimo CLEMENTE** *Paterna & Materna compendiârunt ornamenta. Monſtravit à teneris Herculem virtus ad quæ poſtea natus fuerit,* **Te** *primævæ Juventutis demonſtrant Anni, quàm in publica Orbis facie futurus ſis Poloni Alcidis bellax Theſeus, magnanimi Hectoris invictus Achilles. Nec mirum*

in infantili enim ætate manus aptas ſagittis, Noricis enſibus applicas dextras, nec ad puerilia crepundia vel vana lenocinia auguſtum divertis animum: ſed more Achillis Martis ancilia & bellica tractas Inſtrumenta. Solidavit indolem Tuam Illuſtriſſime Domine *conſtantia, occupavit generoſitas frontem, heroicus ſpiritus obarmavit pectus, virtus ætatem ſupplevit & in corpore parvo Gygas animus. Addunt decora decoribus* Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini *in Zamośćie* IOANNES Capitaneus Lublinenſis *&* ANDREAS Capitaneus Roſtocenſis ZAMOYSKI *Fratres germani* Illuſtriſſimi Domini Palatini & Mecænatis Ampliſſimi. *Bina hæc auguſtæ Domûs columina ſeu veriùs lumina dicendi ſunt, deportant ſagum boni publici Bajulatores indefeſſi, meritis Patriam implent, Trabeîs ornandi, Curulibus inſerendi. Non deſinunt ampliare Domum Illuſtriſſimam agnata & cognata Nomina ſeu veriùs Numina* WISNIOWIECCII, RADIVILII, SANGVSZKONES, CZARTORISCII, IABŁONOWSCII, POTOCCII, PONIATOWSCII, ŁVBIENSCII, DOLSCII, DZIAŁYNSCII, CZAPSCII, GNINSCII, ZACHORODOWSCII, LESZCZYNSCII, MNISZCHONES, DZIEDOSZYCCII, HERBVRTONES, WIELOCHORSCII, SVCHODOLSCII, Cæteriq; *innumeri ſagô Togáq; meritiſſimi Viri, quos arcta hæc pagina nequit comprehendere. Suſcipe igitur Teſſeram innatæ obligationis meæ, eâ benevolentiâ* Illuſtriſſime Domine, *quâ Evander Cyneam, Canuſina Romanos, Æneas Vliſsem & vile pomum Miſsæ Rex Artaxerxes ſuſcepit. Vive magnîs cumulatus honoribûs, donec:*

Terra feret Stellas, Cœlum ſcindetur Aratro,
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas.

Ita precatur

Illuſtriſſimi Nominis TVI

profundiſſimus Adorator

& infimus Cliens.

M. VALENTINVS FRANCHI
P. D. & P.

ORATIO.

CLamosîs ſtare Mundum litigiîs, pridem *Proceſſus* hac in Cauſa in Conſiſtorio Divorum geſtus informat, quem hodie ex *Prothocollo Actorum* Sacræ Themidis in forma *probanti & Authentica extractum*, in publica Veſtrûm Audientia promulgabo; Vos *Exceptiones Recuſatorias* non opponite. AA. Ab exordio etenim naſcentis Orbis lis exorta, quam *de plano & ſimplici ſummario ſcilicet Proceſſu* examinans ſupremus Cauſarum Judex Jupiter; Orbem Vniverſum per *Edictum publicum non expectatô monitoriô peremptoriè* adcitavit. Intermino tandem *ex Edicto* proveniente, comparens *Perſonaliter* Fama publica *Principalis Actrix* contra Citatum Orbem ſuper eo *libellavit*. Vix enituit rerum pulcher vultus in Orbe, vix Tytan radiantia præbere lumina ac nova creſcendo

Proceſſus in Cauſa & Actione Judiciaria inter Famam publicam ex uná & Mundum Citatum Partibus. ab altera

Fama Publica ex Actoratu inducit meritum Cauſæ.

A cæpit

cæpit reparare cornua Phæbe, illico: prout & hucusq; obstat; unum obstabat alteri: frigida duellabant cum calidis; humida pugnabant cum siccis, mollia cum durioribus, cum gravibus certabant levia. Pejor, pejor adhuc èxarsit malitia in Divûm Nepotibus, (Gygantes intelligo) adeo ut exarmatô Marte, decollatö Saturno, extinctô Sole, deflorata Venere, ipsîs quoq; calcatîs Cælorum Orbibûs ausi fuerint, super omnia eminere. Hîs non contentus tergiversator Orbis, pejora pejoribûs accumulando, modò cum Cæsare Pompeium, cum Nerone Agrippinam, veluti Eumenidum lactatus mamillâ, de vita proditoriè tollit, trux & immanis Mezentius, viscera dilaniat cruentus Macello Diomedes, modò cum Romulo & Remo fratricidare, cum Polyrice & Etèócle etiam post fata, *cum summa angarizatione* luctari *ausus est & præsumpsit.* Pro tanto igitur temerario ausu Mundum pænîs exemplaribûs *puniri*, ad perpetuos calamitatum Carceres *destinari*, omni beneficiô privari, spoliari, exauthorizari, *Cæteraq; quæ Juris & Justitiæ fuerint statui & sententiari debita cum Instantia postulavit.*

Audi-

Audiit hæc inculpatus Orbis *Citatus ex Adverso Principalis*, & ne *in peremptorio Causæ termino* non comparens *Aggravationis incurreret Censuram*; respondit *ex Reatu juxta Schedam*. Tantum malum peperit malus, quæ Cælesti plantata Manu Scientiæ boni & mali fructum proditura degeneravit, toxicum genuit ut illud haurirent omnes. Hoc puerascens Orbis vagienti libavit ore, ut infans adamavit, adultus ut pote sibi coævum auxit, decrepitus ad maturitatem deduxit, taliterq; causata bile tumescere cæpit ut cũctîs ad incitas redactîs se ipso major si non esse saltim videri cupit. Nihilominùs *cum Judicis sit favores ampliare, odia restringere*, sceleratis Sol oritur & Pyratis Maria patent, idcirco Clementiam Judicii imploravit. Ex adverso *Principalis Actrix* Fama publica *accepta Agnitione* Citati *Infamibus Portas dignitatis patere non deberi*, expediatq; Reip: ut puniantur delicta *replicavit, petiitq; Decretum definitivum ferri, in scriptis promulgari ac debitæ Executioni demandari*. Supremus tandem Causarum Judex Jupiter pro Tribunali sedens, *Auditîs Partium Controversiîs attenta Notorietate* deli-

Mundus ex Reatu respondet cũ imploratione tristis Auxilij.

Replicat Fama publica & pro Decreto instat.

Decretum definitivũ jux: Præs

cti, quæ nulla *tergiversatione* celari potest, attenta libera proprii Oris Confessione Citati quæ plenam in Jure fidem facit, Orbem universum Reum scelerum, violentiarum, perturbationum adinvenit. Et quoniam *qui crimina potest emendare & non corrigit Ipse committit* (a) sic canone obloquente; ne igitur scelera maneant impunita sublunarem Sphæram uti inconstantiæ Typum continuò calamitatibus cum Ixionis rota gyrari *demandavit*, lumine gloriæ *orbavit*, & abhinc nomen imposuit Orbis. Prærogativâ ac dignitate quavis realiter spoliandum, exuendum, exauthorizandum esse *decrevit*. Insuper ad perpetuos calamitatum Carceres subeundum *destinavit*, Captivum Orbem in facto esse tradendum *sententiavit*. Prout *orbat, destinat, decernit & sententiat. Decretô suô definitivô ad præmissa mediante. Præsente Mercurio Consistorii Divæ Themidis Actuario.*

Can: quæ contra 23 q. 8.

Verùm enimverò: hoccine *Mandatum executivum cum termino stricti Juris* contra Citatum effectuabitur Mundum? ut nec Remediô *Supplicationis, Simplicis Querelæ, Petitionis* aut *Imploratione tristis Auxi-*

lii

lii uti miſerabilis Perſona Mundus non poſsit uti? hæccine Regula Juris: Qui malus eſt, malè pereat? & non *Æquitas præferenda rigori?* Solumne in Arèopago Sacræ Themidis *Decretales* & non *Clementinæ*, ſeverus *Juſtiniani Codex* & non *Decretũ Gratiani* revolvetur? Solum ne ex Cancellaria Supremi Judicis *Monitoria non viſo robore, Aggravationes, Inhibitiones, Areſta, Interdicta* atq; *Cenſuræ ?* & non *Relaxationes*, non *Literæ ſalvi Conductus* aut *Indulgentiæ* emanabunt? Jam ne adextremum Orbis gratiîs orbus ſub malleo & incude calamitatum gemens Evictorem ignorabit? Minime. En hodierna die *coram Officio & & Actis Conſiſtorii Generalis* Cœleſtis *Conſtitutus Perſonaliter* Diviniſsimus *JOANNES CANTIUS omnibûs melioribûs quibûs de forma, via, ſtylo,* ac bonitate ſua potuit modîs, *non coactus, non compulſus, palam, ſpõtè, ultrò & liberè* pro calamitoſo Mũdo plùs quàm *in forma Cameræ Apoſtolicæ* fidejubet, ſpondet, Eundemq; de calamitatibus eliberat. *JOANNES D. Mons Pietatis* absq; recepto Pignore ærumnoſum ſublevat Orbem. *JOANNES D.* Summa Gratiarum pro Evictione in Mundis Bonis Scientiæ

& Virtutum locatâ, gratis ſolvit miſeriam hominũ. Clariori loquar Emphaſi *JOANNES D.* ex Ipſo Nominis Ethymo gratioſus ſollicitè de Beneficio providet, ut Orbis mediante Decreto omni ſpoliatus gratiâ & honore *reſtituatur in integrum*. Ergò RESCRIPTUM GRATIÆ ad Inſtantiam Orbis ex Signatura Cœleſti Impetratum *D. JOANNES CANTIUS* in forma Brevis (*prolixitas enim verborũ à Jure reſpuitur*) promulgabitur. Permitte Dive Pater quod Te Scientiarum Archivum, omnium Virtutum Emporium, *RESCRIPTUM GRATIÆ* nominabo, utiq; ſi conveniunt rebus Nomina ſæpe ſuis: Oratoriis fontibus non aliter Te baptizare permiſsum, niſi in Nomine gratioſo, qui ut talis appareas inculto Oratori de Beneficio providebis. Vos Judices *omni exceptione majores* appello, AA. Præſentanti *RESCRIPTUM* pacatas prebete aures & auras *cum ea qua par eſt reverentia* expoſtulo.

L. ampliorem § in Refutat. c. de Apel

Non eſt paradoxum, imò plus quàm Aruntino veriloquio conſonum, Solonibus, Lycurgis Triſmegiſtis atq; Pompiliis Legum Conditoribus (*a*) cæterisq; quib9 ad manum Cancellaria Juris Conſultis e-

can: Moyſes Diſt: 7

vi-

videns eſt; *Reſcriptum* quaſi *Reſponſum Principis à reſcribendo, & reſpondendo* denominari (*a*) Duplex etenim hoc eſt; quo mediante ſi dubium ad alicujus Conſultationem explicatur, aut *Arbiter Juris & hominis* ab altiori Judicio ad deciſionem litis delegatur, vel aliàs adminiſtratio Juſtitiæ injungitur *Reſcriptum Juſtitiæ* à Jure nuncupatur. (*b*) Si Veſpaſiani Imperatoris in hoc ſolum cum Sole ſparguntur manus, Mecænatis Hetruſci nati de ſangvine Regum beneficia elargiuntur, Auguſti Thronum Gratiæ bajulant, aliàs: ſi favor, beneficium, Privilegium vel Exemptio indulgetur *RESCRIPTUM GRATIÆ* jure obloquente appellatur. (*c*) Illud inquàm, quod ut nubes reſoluta in pluvias: *dives in omnes*. Vt malus punica mala granata ferens: *nemini ſua munera claudit*. Vt oceanus cujus vaſtum gurgitem Sol haurit, ſed non exhaurit: *nunquam ſiccatur æſtu*. Vt Luna pulchrior apparet cum plena eſt, *illuſtrat univerſum*. Meretur Rhetoricos apparatus, & ornatus *RESCRIPTUM GRATIÆ*, quod multorum Indigentiam contegere, & protegere ſolenne habet. Meretur ut Illi accendantur lumina Oratori-

(a) l. 1 ff. de Apell.

(b) c. Paſtoralis 14. de Reſcrip.

(c) c. Gratia de Reſcrip. in 6.

toria quod tenebras adversæ sortis dissipare, publicam calamitatem inexhausto sinu solari, miseram egentium conditionem relevare, de ærumnis evincere, omnibus de beneficio novit providere. Rem brevi complectar dialecto: ut rutilum ab Arimaspo obrizum, ut Hydaspæi ab Ægyptio Gange Pyropi abundè promanant, sic *Rescriptum Gratiæ* à favoribus, Indulgentiis, Beneficiis suum derivat Nomen. Prothasis est quod dixi: Apodosim *D. JOANNEM CANTIUM* cernite *AA.* Rescriptum Gratiæ agnituri. Quod antequàm ex *Signatura Cælesti* debita expedietur in forma, prius Impetratores Rescripti hujus *Stanislaum* & *Annam* Divos veneremini Parentes, Quos à Religione & Pietate laudaturus Orator, hoc in puncto pono aporiam Religionine & Pietati à *Stanislao* & *Anna* an his à Pietate accessit malus? Et ne suspensa hoc in puncto maneat Eloquentia, decido: Quantum Soli à radiis, radiis à Sole, quantum Lilio à candore, cãdori à Lilio, quantũ Coronæ ab unionibus, unionibus à Corona tantũ Pietati & Religioni à *Stanislao* & *Anna*, & his à Pietate accessit gloriæ. Piis namq; Parentibus

tibus propitium Cælum, ad quorũ Instantiam DEVS in *Dataria* sua *Rescriptum Gratiæ* parat. Quid dico parat: jam expediit & Illud in *occluso Annæ* uteri *Rothulo* obsigillavit. Dicite nunc fatidica Delphici Apollinis oracula? Quis Puer iste erit? Dicetis ne *JOANNEM* futurum Plinium, Cujus mentis scrutinium ad medullatam occultarum qualitatum accedet intelligentiã? parũ est: Dicetisne *JOANNEM* futurũ magnũ Alexandrũ acuto ingenii acinace perplexos difficultatũ præcisurũ nodos? parũ est: Dicetisne *JOANNEM* futurũ Platonem, ut altissima comprehendens dici & esse mereatur Divinus? parum est: Affirmabitisne *CANTIUM* futurum Angelum, idest, Angelicæ Custodem vitæ? idest Academici Orbis Motricem Intelligentiam? parum est. Dicite, inferte, affirmate optimum bonum de bonis Parentibus natum. Vtiq; quô innatô probitatis decore commendantur Parentes, eodem fulget progenies successiva. E jubato Leonis cubili nunquam galeatus prodit lepus, ex Aquilarum nido luminis incapaces nunquam noctuæ provolarunt. Elephas parturit Elephantem, Gradivus Romulum

aut Camillum non vitiis otiisq; deditum Heliogabalum. Ex limpido fonte nisi perspicui latices manant, ex limoso lacu non item: Lacte lota Junonis Lilia svavem utiq; spirant odorem, qui ab urticis nunquam diffundi potest: Sic semper Patrum virtus, naturali Jure in filios derivatur. Regula Juris disponente: *Bonus est qui de bono genere natus est.* (*a*) Quod si adhuc disceptantes animi pacari nequeunt? rumpo moram: Puer Iste magnus vocabitur, non cum Alexandro Orbem vincens; sed evincens de clade mortales. Imo veriùs: cũ non posſit generare Gratia nisi *JOANNEM*, nec Gratia habere Matrem nisi *Annam*; *CANTIUS* futura Proles in fundamento legis *partus sequitur ventrem*(*b*) *Rescriptum Gratiæ* approbatur, quo mediante favores ampliari, de Beneficio provideri, mundum sublevari adhuc in occluso *Annæ* uteri Rhotulo Superi indulsere.

l. quod si nolit§ qui mancipia.

l. 1. §8. ingenui de Statu hõ.

In prima fronte Rescripti Gratiæ ad Instantiam supplicantium impetrati jure sic obloquente, Nomen Rescribentis, *Annus* Incarnationis Dominicæ Datarii calamo exaratur(*c*) neve manifestus error Latinitatis reperiatur seriò à jure cavetur,(*d*) &

l. 4. C. de Diversis Rescr: c. ad audientiam 11. & ibi Gloss

& ut à Iuſtitiæ Reſcripto differat bullatur filo rubeo.(*a*)Hæc requiſita in Authentico Gratiæ Inſtrumento ſi quis examinare prætendit? in apertionem Rothuli conſentiat. Ex præfixione etenim Cæleſtis Reſcribentis aperitur Rothulus, ſeu quod idem eſt naſcitur Cælo diſponente *CANTIUS* Diviniſsimus, ſed ab ipſis incunabulis indicia favorum ampliat Solis naſcentis more, qui diem ab ortu præſignat. Gratiarum Originale Cæleſte, *JOANNES*, ut ſine originalis culpæ raſurâ Orbi univerſo publicetur in Nomine Supremi *Reſcribentis Sanctiſſimæ* ſcilicet Triados indelebili Baptiſmatis ſcribitur charactere. Vtq; calamitoſum ærumnoſi Orbis mitiget murmur, harmoniaco conſona ſvavitate *CANTII* Nomine inſignitur. Annum *Incarnationis Dominicæ* ingreſſus *JOANNES* pueritiam tulit humero, ſed Togam animo,futurus Princeps pacificus, in Toga clariſsimus *A*cademicus. Adhuc parvulus ſibi *CANTIUS* magno præluſit Sancto, auguſtum omni geſtu explicuit ſenium, & in vagitu canitiem præſetulit, qualem vix pauci meruêre ſenes. *Reſcriptum Gratiæ JOANNES* Latinitatis errorem

c. quam gravi in 6 de Crem. falt.

ut

ut evitet ad Regum Altricem primam & Generalem Scholam Almam Matrem à Parentibus circa prima principia applicatur. Literas exorſus Pietati ſtuduit, ne cor excæcaret ad Cleanthis lichnum impalleſcebat. Glorietur hinc Gratianus *A*uſoniô, Cyneas Xenophonte, *A*lquinô Carolus, Chirone *A*chilles, Platone *A*riſtoteles, *A*riſtotele Magnus *A*lexander, alii propè ſexcenti non ſepultos in tacito oblivionis cinere ſuos declament Inſtitutores, *JOANNI D.* magna Indoles pro Pallade fuit. Ita tamen ſtrictô Sapientiâ Eruditionis vinculo virtutis copulavit decoribus, ſic hæc gemina unô coæquavit æquilibrio, ut quisq; diceret in *JOANNE* virtutem ſapientiæ maritatam advitalitiâ inſcripſiſſe ſtationem. Et bene: *D. CANTIUS* Sydus noctibus *A*tticis, ſed nec *A*tticæ noctes Jlli umbra, Muſæ in *CANTIO* non diſtingvuntur à virtutibus & virtutes à Muſis. Totum ſeſe *JOANNES* utrisq; explicuit, & illæ explicuerunt ſe Vni. Omnium virtutum capax *JOANNES*, & Muſarum omnium, illis Templum, his *A*thenæum. In ſe tamen Reginas virtu-

tes

tes esse voluit, & Musas virtutum Ancillas. Amænas inter literas amænior *JOANNI* conscientia, nec atramentum Innocentiam suffuscavit, nec é pulvere erudito athomus crystallum polluit mentis. Tullium audivit Præceptorem oris non moris, inter Lites & Tusculani dissidia Fori cavit, ne & accusare posset & diffamare quenquam, hæc, repetens verba:

Diffamare cave, nam revocare grave,
Conturbare cave, non est placare suave.

aliàs: *omnis qui detrahit homicida est non habens partem in Regno* (a) Igitur justa Præmiatrix Jagellonica Pallas insistendo dispositioni Juris: quòd *virtutum præmia tribui merentibus conveniat*(b)*ac munus sustinenti honor deferri debeat*, (c) *CANTIUM* ad Philosophicam *excantavit* seu evocavit Cathedram. Laurum immortalibus correspondentem factis, erudita Minerva in terris pro scientifico labore dedit, auream in Cælis Coronam, pro virtutibus oblatura. Seu veriùs Rescriptum Gratiæ *JOANNEM D.* Alma Mater Sigillô Doctoralis Annuli communivit ac pro filo rubeo Decanali murice bullavit, adornavit. O Superi Dii! quanta hujus Principis docen-

can, omnibus 24.

l, & virtutem C. de statuuis & Imag. l. Honor ff de manes

D di

di prudentia, quantâ agendi fortitudo quibus veluti duabûs pennîs in altum gloriæ ferebatur. Scientiarum omnium æquè capax ac prodigus, discendo captabat flumina, docendo effundebat Oceanos, Oraculum fuisse visus cum diceret, miraculũ cum erudiret, scripsit unus legenda sæculîs, egit unus imitanda æternitate. O verè Rescriptum Gratiæ *JOANNEM!* favores ampliavit & se totum gratiîs effudit. Non cum Platone falsas ideas menti studiosorum impressit, non cum Leucippo, Democrito, Epicureo aut hodiernis Carthesianis athomos, corpuscula, & dissemi-natum dari vacuum docuit, sed veri DEI cultum pro objecto statuens, vacua inauditâ eruditione replevit capita. Verè repeto *JOANNES* Rescriptum Gratiæ, gratiosos, quia lacteos in doctrinis parat sapores, cum Divinior Plastes vas lacrymanti Ancillæ contritum: aquâ repletum in sapidissimum lac transmutavit. Non vereamini hinc non vereamini famem, cum Biezanovio loquar: *pauperrima Turba*, aut cum Vespasiano Kochovio *minoris Census Philomusi Professores Academici*, en *JOAN-*

NES

NES monſtrat Almæ Matri, licet quartô capulari ſenio lac ineſſe, quo fatigata reficiat membra. Et Vobis *JOANNES* placere ſtudet Novodvorſciana Juventus, quam proclivem ad cupedias ut alliciat, lacteos illi rivulos pollicetur, eo ipſo & ad Veſtrûm & ad Noſtrûm & ad Inſtantiam Orbis Reſcriptum Gratiæ deſuper impetratum comprobatur.

Vt Reſcriptum Gratiæ impetrantibus proſit; favores, Privilegia, Beneficia ſpecificare debet, (*a*) ut plenã fidẽ faciat, nullam admittit liturã, (*b*) ut debitô termine-tur fine, Sigillô *A*poſtolicô cum ſubſcriptione: Datt: ſub *A*nnulo Piſcatoris communitur. (*c*) Tãtas Solemnitates univerſus Orbis in *JOANNE* demonſtrat, Illum Reſcriptum Gratiæ probaturus. Si tanta exigeret temporis ac rerum neceſsitas, verè plures fortunatos Mydas ſuæ gratiæ efficeret *JOANNES*, quàm Ganges vel Hydaſpes; ex illis etenim minutiſsima ſolummodò auri arena, ex *CANTIANO* largioris benevolentiæ rivo ingentes in ſublevationẽ pauperũ colligerẽtur obrizi acervi. Deſperârunt pauperes infæcundam ferrei ſæculi incuſantes ſterilitatem, non poſse

(a) c. 16. de Reſcr:
(b) l. 14 C. de Fide Inſtrũ:
(c) CC. Canoniſtæ. Tit:. de Reſcr: & praxis.

 habe-

habere Titos gratiosos, & ecce dubiam fluctuantis animi procellam in spem optimam erexerat Rescriptum Gratiæ *JOANNES* etiam Margaritales (tenuem supponite pensionem *A*cademicam) mendicantibus offerendo, ita Eleemosynæ ac benevolentiæ assvetus geniô, ut nec horam perdere vellet, sicut diem Vespasianus. En ille pauper qui nudô corpore ad *JOANNEM* steterat nonne Elogiorum dedit materiem? imo dedit: Cum D. *CANTIUS* vix auribûs miserum frigescentis pauperis receperat ululatum, protinus detractô ex humeris palliô eundem cooperuit. Verùm novit Signatura Cælestis Virgo Divinissima, *JOANNEM* Rescriptum Gratiæ esse, idcircò novos in Illo ac speciales favores exprimit, Pallium in cubiculo manibûs suîs resarcit in fundamento Regulæ Juris Benefacientibus benefacere convenit. Mecænas munificus *JOANNES*, aut novus Gratianus de Cujus exuberanti corde pluris Mendici æstimavêre benevolentiam, quàm fontem Hermi, quàm Tagum Mydæ & aureas pluvias Tonantis. *A*gnoverunt multi, agnovit & ille (nescio an *CHRISTUS* vel Pau-

per,

per, ſed reſolvit dubium *JOANNES*(Pauper venit, *CHRISTUS* venit) gratiam Cantianam, Cui *JOANNES* ſuam portionem, *JOANNI CHRISTUS* Cæleſte ferculum dedit. O miram DEI Providentiam! tenues Academicorũ proventus *MARIA* cũ *CHRISTO* ampliat, Illa amictum, Hic victum ſuppeditat mediante Reſcripto Gratiæ *JOANNE* Diviniſsimo. Loquere favores Coronatrix Regum Cracovia, Cui *CANTIUS* multum de beneficio providit. Nempe ardebas ingentibûs flammîs, *JOANNES* vim vi repellere conatus, vix flãmas *A*moris Divini oppoſuit, protinus ardenti funeſtîs ignibûs Vrbi optimum paravit refrigerium. Vt tandem Authenticè Reſcriptum Gratiæ præſentetur *JOANNES*, Almam in Vrbem pergit, & ſe Annulô Piſcatoris Signaturæ Divinæ Gratiæ deſponſat. Aliàs: & ſibi Indulgentias lucratur; cùm Purgatoriũ hac via abſolviſse ſe dixit, & Mundo ſe præbuit Reſcriptum Gratiæ, cùm in dies favores ãpliavit, odia adverſæ ſortis reſtrinxit. Verùm facta expeditione Romana in Sylvis Prædones, ſum dicturus Falſificatores Literarum Apoſtolicarum Reſcri-

 ptum

ptum Gratiæ ſubreptitiè lacerâre, in ſubſtantialibus cancellare, temerariè audent & præſumunt, ſed fruſtra. *JOANNES* Reſcriptum Gratiæ filô *A*moris Divini bullatum, Sigillô *A*poſtolicô communitum, *ſalvum, ſanum, integrum, non cancellatum, nec in ulla ſui parte ſuſpectum* præſentatur, aurum quod reſciverat non acceptum ſibi, *JOANNES* ultro Prædonibus offert, ut ſciant *CANTIUM* Vniverſis & ſingulis Reſcriptum Gratiæ eſſe Romanô Stylô ſubſcriptum *Gratis pro* DEO. Verùm caret ne *JOANNES* Inſtrumentum Gratiæ liturâ? caret. Voluit quidem non tam amæni veris, quam atræ hyemis nuntia infernalis hirundo importuno volatu circa Sacrificium Miſſæ maculare Originale Cæleſte plenum Indulgentiîs à pœna & culpa, ſpe tamen eluſa. Cognovit enim *CANTIUS* infernalem Falſographum, terræ alliſit Dæmonem, & in horrenda Draconis ſpecie fecit diſparere peſſimam hirundinem, taliterq; malîs avibûs optimum ſibi cõparavit nomẽ & triũphũ. Nẽpe triumphavit *JOANNES* jam toties de Mundo, Diabolo, triumphavit tandem & de carne. Etenim factus Sacræ Doctor Theolo-

ologiæ *CANTIUS*, abſtinet à carnibus, Cujus ingenii palato meliùs arriſit dulce chartarum obſonium. Scilicet: conſcriptîs variîs voluminibûs, amplos in Facultatibus relinquit Tomos, qui priùs *THOMAM* Aquinaticum Solem in Sphæram Capitis ſui transtulit, publicæ tamen Opera ſua non exponit luci. Scientiam Facti ſi requiritis? *AA.* Induſtrioſa fuit Apis *JOANNES*: in mentis ſuæ Alveari favum Eruditionis formavit, ſed humilis Architectus ſui laboris teſtes; non admiſit. Mirabilis Bombix *JOANNES*: aurea Scientiarum ſtamina, in nobilem produxit tramam, at quò plùs ſe eviſceravit, plùs ſe abſcondidit. Solitarius Phænix *JOANNES* nullo non die expoſitus ad Solem Scholaſticum, at vix Mundo conſpiciendum ſe præbuit. Et ideò, cum Orationi vacâſſet ſæpiùs ante fores Templi cum Publicano de noctu oravit. Ne ſupponatis tamen *AA.* ex eo *CANTIUM* ſacra excluſum Æde, dicite potiùs incluſum DEO. Gygantea ſc: *JOANNIS* Pietas majori per momenta accreſcens virtutum quantitate, ad æqualitatem ſtaturæ ſolo

 po-

potuit non nisi Cælô tegi. *A*ngustiore Templi non debuit arctari tecto vigilantissimus Exercituum Miles, ante tentorium excubat per tot oculorum spectacula, quot Stellarum. Solus tunc cum solo locutus DEO, arcana ab Eodem audiit & comunicavit, quæ nemo novit nisi DEVS. Id circò extra hospitium à DEO evocatus confidentiùs clàm agebant ambo. Nec hostem ante fores insidiantem autuma, amicus est Divûm, quamvis noctu importunus, pulsat Januam ut violenter impetret gratiam, favores, Privilegia, Indulgentias Orbi universo. Claudit tandem ante Solis ortum oculos cum vita *CANTIUS*, quia in Meridie Sanctitatis stetit, ac cum uberiori rore suam Cælis virtutum & Sapientiæ obtulit ubertatem. Imò clariùs, *JOANNES* Rescriptum Gratiæ, ad perpetuam rei memoriam in *A*rchivo Cæli reconditur. Verùm: siccine *A*lma Mater absq; Dilecto Tuo mæstas numerabis horas? Itane studiosæ mentes privabimini unica Recreatione *JOANNE*? Itane Orbis orbaberis Rescripto Gratiæ? minimè. Semper gratiosus *CANTIUS* licèt jam in Cælis locatus, tamen

auxi-

auxilii & Beneficiorum Diplomata ex Signatura Cælesti exportare non desistit, cùm ad Sacra Lipsana surdi audire, muti loqui, claudi in solennia excurrere tripudia, cæci lumen gratiæ videre, Orbis Polonus & Litavus indies favores experiri non desinit, eo ipso *JOANNEM CANTIUM Rescriptum Gratiæ* probat, confirmat & concludit. Jam tandem Dilecta Parens in Filio Sanctorum Mater, cum imbellis Oratoris svada adæquatè dicere de *JOANNE* nequeat, Apellem imitari permitte: qui vivîs coloribûs in Tabula medium depingens Alexandrum; suæ tenuitatis aperuit sensum subscripta Epigraphe: *Magnum Alexandrum Tabula nulla capit*. Magnitudo Gratiarum, Scientiarum, Virtutum, austeræ vitæ, miraculorum, Prodigiorum *JOANNIS*, non unam sed plùs quàm *XII. Legum Tabulas* exsuperat, adeo ut imbelli Oratori dixisse sit satis. *JOANNEM CANTIUM dictio nulla capit.*

Tuæ non nisi felicitati *A*lma Mater ex obligatione *Antidotali* gratulari teneor in fundamento Æterni Legislatoris: *Honora Matrem*, quòd fæcundo ubere enutristi tot Cælestes Gratianos *MICHAELES GIEDRO-*

F ICI-

ICIOS Duces Litt: *ESAIAS BONEROS, STANISLAOS CASIMIRITANOS, SIMONES de Lipnica, JOANNES de Dukla, STANISLAOS* Koſtka, Jòánnes *de Elgot*, Sventoslaos, *A*damos Opatovios, Samboritanos, Simones *A*lbimontanos, Jòánnes *Corvinos*, Halicios, Sandivogios, Stanislaos de Horzis, Marianos de Jeziorko, Stanislaos Oporovios, Elias ad S. Catharinam, aliosq; innumeros in ſplendoribus Sanctorũ, ad perpetuas æternitates permanſuros. Tot ad Regales thronos, *VLADISLAOS, ALEXANDROS, CASIMIROS JAGELLONES, VLADISLAOS IV. JOANNES III. & SIGISMUNDUM* Hungariæ Reges lacte erudionis educâſti. Tot *AA. Magiſtros* & actuales *Profeſſores*, ad *Cardinalitias Purpuras* & Præſuleas promoviſti Tyaras: MM. Sbigneos Oleſniccios, Stanislaos Hozios S. R. E. Cardinales, Vincentium Roth *de Dąbno*, Joanem Łaſki, Andream Cuiccium *Gente Cotficium*, Vicentium *Cottum* Gneſnenſes, Gregoriũ *de Sanok*, Długoſſiũ *Nominatũ* Leopolien: Archiepiſc: Jòánnẽ *de Cracovia* Cracovienſem, Ioannem *de Gorżkow* Vilnen: Nicolaos *de Armis Vulpium*, Jòánnes

nes Lubranſcios Poſnanienſes, Petros *de Chotlevo*, Nicolaos *de Mirzeniec* Płocenſes, Jòánnes *de Targoviſko* Premislienſes Epiſcopos, Thomas Strēpinios, *Diœceſis Cracovienſis Admiſtratores*, Joannes Amicinos *Epiſcopos Laodicenſes, Suffraganeos Cracovienſes*, Vicarios Generales in Spiritualibus & Officiales 9. Auditores 4. Surrogatos 11. Tot Proceres Regni in utroq; Ordine lactaſti. M. Jòánnem Tęczynſki, *Caſtell: Cracov:* Ioannem Ocienski, *Cancellarium Regni.* M. Iòánnem Ligenza, *Caſtellanum Voynicenſem*, M. Georgium Myſzkowski, Nicolaum Tęczynski, *Phil: Bacc:* Stanislaum *de Kurovechi, Cancell: Regni Bacc:* Achæcium *de Zakliczyn* Iordan, *Bacc; & his temporibûs Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum* Ioſephũ *in Załuſkie* Załuſki, *Regni Referendarium, in Univerſitate Crac. U. J. Doctorem, ac alios*: Lubomirſcios, Mniſchones, Sapiehas, Sanguſzkones, Zamoyſcios, Potoccios, Czartoryſcios, Tarłones, Szoldrſcios, Sieniavſcios, Myſzkowſcios, Oſſolinſcios, Opalinſcios, Szembeccios, Sierakovios, Małachovios, cæterosq; millenos. Tot Divinâ pene præditos ſapientiâ Mathias *de Miechovia*, Iòánnes *Leopolienſes*, Marti-

nos *Iłcussienses*, Thomas *Strempinios*, Albertos *Novicampianos*, Simones, Maricios, Ioannes Honteros, Nicolaos *de Błonie*, Gorscios, Herburtos, Martinos Vadovitas, Nercicios, Sokołovios Vrsinos, Petricios, Winkleros, Kłobucios, Ianidłovios, Zalaszovios, Makovios, Piscorscios, Biezanovios &c. in quibus feliciori metempsihosi. *Forma, Stylus, Filũ, Membrana, Litura, Sigillũ.* æquè relucet ac in *JOANNE* Divinissimo Rescripto Gratiæ humile Oratoris Iudicium auscultavit. Lætifica igitur Almam Matrem Tuam Dilecte Fili & Patriarcha Nostrûm *CANTI* Divinissime, ut Quem *Rescriptum Gratiæ* Cælum fecit, Orbis impetravit, *BENEDICTUS XIV.* declaret *SANCTUM.* Ego verò cum Oratore Nanzianzeno (*a*)concludo, *Domestica laudavi, non*

Greg: Orat. XI. Tomo I. Opp.

tamen, quia Domestica ideo falsa, sed
quia vera, ideo laudabiliter: vera
autem non modo quia justa;
verùm etiam quia nota.

D

I X

I.

22.000,-
3.XII.13

Bibliotheca
P.P. Camaldulensium in Bielany
Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
02350